



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

[Sect. 5. Solvuntur Opposita.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

sto, quod est contra regulam à Molina propositam; unde ascendendo ad divites, & Magnates, multò major quantitas assignanda esset, quàm unius Ducati; nam aliquibus non sufficiunt viginti, vel triginta aurei in singulos dies.

722. Quòd autem ista impugnatione nequaquam tangat, neque in minimo lædat doctrinam Molinæ, patet ex ipsius verbis, quæ antea præmiserat: sic est autem satis rationabilis, ac vera ea sententia, quæ affirmat, majorem quantitatem requiri ad culpam lethalem in furto factò diviti, quàm factò pauperi: idcirco incipiendo à communibus hominibus, censet eam mercedem diurnam fossoris terræ sufficere ad materiam gravem in furto contra ipsos factò; quia est valor sufficiens ad victum ipsis proportionatum, & ascendendo ad magnos Reges, affectit tanquam sibi certum, unum ducatum sufficere ad materiam gravem in furto contra ipsos commisso, ut constat ex num. 718. unde tanquam sibi certum supponit, sufficere undecim ad summum Julios ad victum illis proportionatum; ergo juxta sententiam Molinæ, velint nolint Adversarii, & juxta sententiam probabilioris gravitas in furto desumenda est ex valore sufficiente ad victum unius diei personæ, cui furaris, proportionatum. Ex dictis

723. Fit 1. Quantitatem minorem non sufficere ad materiam gravem furti; ratio est, quia ut bene expendit Cardenas 2. p. Chrisis Theol. disp. 27. cap. 3. quantitas materiæ gravis in furto non designanda est plus, vel minus, sed omnino determinatè; si enim dicas, assignandam esse plus, minúsve, erunt materia gravis quatuor Julii incompleti, sed ex quo defectu? an ex defectu oboli, rogo iterum, an quatuor ipsi Julii uno obolo minús sint computandi plus, minúsve, an verò determinatè; si enim computandi sint plus, minúsve, erunt materia gravis quatuor Julii duobus tantum obolis computatis, vel non, & sic proceditur non in infinitum, sed usque ad ultimum obolum; unde sistendo in eo ultimo obolo ista quantitas non quidem computando plus, minúsve, sed determinatè sumpta est jam materia gravis; inde convincitur, materiam gravem furti designandam esse omnino determinatè, & non plus, minúsve; idcirco congruum est, assignare valorem sufficientem ad victum unius diei proportionatum propter argumenta superius adducta.

724. Ratio ulterior est, quia expendendo Authorum judicia tum illorum, qui nimis rigidi videntur, tum etiam eorum, qui videntur magis laxi, hæc nostra sententia est inter utrasque media, magisque stabilita rationibus, & auctoritatibus supra adductis, quàm sententiæ contrariæ, ut constabit ex solutione argumentorum; in re autem incerta eligere debemus sententiam rationibus magis stabilitam, & auctoritate magis roboratam: tum etiam, quantum fieri possit, in re morali prudentius apparet ab-

stinere ab errore, & laxitate, nec omittere debemus, si fieri possit, Authores explicare in eo sensu, in quo nec rigidi appareant, nec laxi; in medio enim virtus consistit: sed hæc omnia componuntur in nostra sententia, ut ex dictis constat; ergo &c. Fit 2. eos Authores supra citatos, qui eandem quantitatem gravem censent respectu Regum, quæ est gravis respectu pauperum, relinquendos esse in hac parte, vel expendendos juxta doctrinam superius allatam, neque licet aliquid assignare ut necessarium ad materiam gravem in furto supra id, quod requiritur ad congruum, & proportionatum victum illius, à quo res ablata est; sed ex hac proportionem inferenda est materia gravis determinatè; cum hæc bona ex primaria destinatione sua deserviant ad alendam vitam. Idcirco bona temporalia, quibus ali potest vita, dicuntur deservire immediatè ad primariam eorum destinationem: reliqua verò, quibus vendendo, commutando &c. possunt acquiri necessaria ad vitam, dicuntur deservire mediatè.

## SECTO V.

## Solvuntur Opposita.

Objicies 1. ex Cardinali de Lugo: si quantitas gravis in furto assignanda esset ex eo, quòd sufficiat ad proportionatum victum, illa quantitas, quæ esset gravis respectu unius artificis, non esset gravis respectu alterius, quòd est contra regulam à Molina, & à nobis propositam; ergo ex valore sufficiente ad victum proportionatum non potest desumi materia gravis in furto. Confirmatur. Si ex victu proportionato desumenda esset gravitas materiæ ascendendo ad divites, & magnates, multò major assignanda esset, quàm unius scuti, vel ducati: liquidem aliquibus non sufficiunt 20. vel 30. aurei in singulos dies; ergo &c. Resp. dist. antec. non esset gravis respectu alterius, si sufficeret ad victum ipsi proportionatum, neg. si non sufficeret, conc. antec. & nego consequ. Ratio est, quia ut constat ex num. 701. quantitas gravis relatè ad quemcunque statum, licet communiter loquendo assignetur summa pro illo statu; at cum infra illum statum reperiantur aliqui non ascendentes ad summam, exinde relatè ad illos aliquantro minor quantitas erit ipsis sufficiens, & pro ipsis erit materia determinata gravis. Ad Confirmationem nego antec. quia licet plures expendant multò magis singulis diebus, id quidem non est ad victum proportionatum, sed ad abundantiam, & delicias spectat; si enim loquamur de victu proportionato, incipiendo à designatione communiter facta pro pauperibus, relatè etiam ad magnos Reges sufficere scutum ad integrum diem, ut constat à num. 716.

Objicies 2. Quando quis factori furatur a cum, & impedit ejus opera, & lucrum, non furatur

furatur propriè, & in rigoroso furto gravi, eò quòd res, quam accipit, non habeat in se valorem notabilem, solùmque ejus carentia affert consequenter grave nocumentum; atqui quando aliquis furatur unum scutum à Principe, illud furtum secundùm se non affert grave nocumentum, sed solùm consequenter; ergo non sufficit istud furtum ad peccatum grave in ratione furti. Resp. conc. maj. & nego min. quia valor acûs, quæ furto accipitur, non est notabilis, ac proinde neque sufficiens ad materiam gravem furti, licet consequenter in illis circumstantiis afferat grave nocumentum; quia satis non est ad victum sartori proportionatum: cum autem scutum satis sit ad victum, proportionatum magno Principi, exinde sufficit ad materiam notabilem, ac gravem in furto. Quare furtum illud acûs sartori factum, ut bene notat Molina disp. 685. non est materia gravis relatè ad furtum, nec sufficit ad peccatum lethale in ratione furti, sed in ratione adducendi grave nocumentum, licet teneatur ad restitutionem non ratione rei acceptæ, sed ratione lucri cessantis, aut damni emergentis.

727. Objicies 3. D E U S videt determinatè, qualis sit quantitas faciens peccatum mortale furti, circa quam omne aliud est furtum leve etiam respectu illius personæ: supponamus ergo, illam quantitatem esse sex Julios respectu divitis; in hoc casu stare non potest ista veritas cum nostra doctrina; ergo &c. Probatur antec. si quantitas uno, vel duobus obolis minor esset, quàm illa, posset jam sine peccato gravi accipi: sed hoc sine fundamento diceretur; ergo &c. Resp. admissio supposito, nego antec. ad probationem neg. min. quia si D E U S videat ad furtum relatè ad talem personam requiri determinatè sex Julios, quidquid sit infra illos, non erit materia gravis. Quare malè dicitur, quòd excluderetur absque fundamento à materia gravi, præsertim cum in materia gravi ad furtum non possit fieri designatio plus, minúsve, ut ex num. 734.

728. Neque aliter dici posse vel ab Adversariis facile apparebit, si expendatur ratio à nobis deducta num. 724. ex qua sola agnoscitur satis, quàm leve sit istud Adversariorum fundamentum; quin potius levitas ostenditur ex eo, quòd idem argumentum fieri eodem possit modo circa legem humanam, qua Princeps penam capitalem statueret furto 200. v. g. aureorum, non verò furtis quantumvis obolò solùm minoribus; si enim furtum paulò minus non puniatur eadem penâ, inconvenientia in Republica sequuntur, quæ intendunt Adversarii; at juxta illos illa tamen lex est justa, & prudens esse potest, quia expedit non omnia furta parva punire penâ capitali, sed furta graviora; nec potest hoc fieri, nisi aliqua certa quantitas à lege determinetur, nec hæc potest determinari, quin furta paululum minorâ penâ illa excusentur. Idem ergo dicimus in casu nostro; unde si in illo casu nullum est inconveniens, neque

in casu nostro poterit reperiri ullum inconveniens.

Objicies 4. ex §. gallinarum Instit. de rerum divisione, ubi pro una gallina furtò ablata furti actio conceditur, quæ non conceditur, nisi pro culpa lethali; unde valor unius gallinæ sufficiens est ad materiam gravem furti relatè ad quamcunq; personam; atqui non continet valorem victus unius diei unicuique personæ proportionati; ergo &c. Resp. neg. maj. quia ut bene notavit Molina, malè colligitur ex eo textu, dari actionem furti pro una sola gallina, quia textus loquitur de gallinis in plurali, tum etiam, quia ibi non asseritur dari actionem furti, sed committi furtum, si quis inveniens gallinas alicujus dispersas, eas accipiat animo sibi retinendi, eò quòd dispersio earum non privat Dominum antiquum dominio illarum: id quod verissimum est, sed nihil facit ad rem nostram.

Quin potius, si expendamus id, quod refert Cardinalis de Lugo disp. 16. sect. 2. num. 24. non possumus attendendo ad gallinæ quantitatem inferre pretium, nisi simul attendamus ad alias loci, & temporis circumstantias; unde posset gallinæ valor sufficere in uno loco ad furtum grave propter majus illius pretium, quamvis propter minus in alio loco non sufficeret: en verba Cardinalis de Lugo: ego enim, ait, vidi Matrini pretium commune unius gallinæ octo argenteos esse, cum tamen Salmaticæ, domi ibi studerem, esset communiter duobus argenteis. Quomodo ergo poterat valor unius gallinæ assignari in universum pro materia gravi furti? Ex dictis

Fit 1. ratione furti latronem fieri reum non solùm culpæ, sed etiam penæ, quæ justis legibus statuta est; cum autem pœna alia sit civilis, alia canonica, utriusque penæ fur subjiçitur. Quantum attinet ad pœnam civilem, videndi sunt Doctores latè de ea differentes; quantum verò ad pœnam canonicam, differunt Canonistæ suprâ lib. 5. Decret. tit. 28. ubi apponuntur pœnæ sacrilegio, quod est furtum rei sacræ, pro plagio, peculatu, abigeanu, incendio, & naufragio. Peculatus est, qui versatur circa res, vel bona publica ad fiscum, vel Principem spectantia, aut ad Ecclesiam. Pœna hujus criminis de Jure Civili est arbitraria usque ad ultimum supplicium; de Jure autem Canonico, si à Clerico committatur, est excommunicatio, aut depositio.

Abigeanus est, qui versatur circa jumenta, vel animalia aliena, & dicitur ab abigendo, & qui ita peccant, dicuntur abigei: unde tales sunt, qui pecora ex armentis, pascuis, aut gregibus abducunt. Pœna horum, si frequentius delinquant, est gladius, ita tamen, ut nunquam in penis permutetur pœna, & gravior illa sit, si effractis stabulis pecora sint ablata. Peccata furti commissa in incendio, vel naufragio, quæ inter graviora numerantur, puniuntur penâ extraordinariâ pro qualitatibus personarum.

Plagi-

733. Plagium est liberi hominis, qui sui juris est, abductio animo celandi illum, & hic, qui taliter abductum, v. g. tanquam servum vendit, Plagiarius dicitur: poena autem plagii olim de Jure Civili fuit pecuniaria, hodie tamen est gravior, licet pro personarum qualitate augeatur, vel minuat; de Jure tamen Canonico videtur talium poena excommunicatio, vel alia citra mortem juris poena. Observat tamen Cardinalis de Lugo citatus peculiarum, abigeatum, & plagium, quamquam juridicè diversa sint propter diversas poenas illis statutas, theologice tamen esse ejusdem speciei infimæ, sicut etiam furtum manifestum, & non manifestum, licet apud Juristas multum differant, apud Theologos tamen ex hoc præcisè capite non invenitur inter illa differentia specifica.

734. Fit 2. rapinam esse speciem propriam furti afferentem malitiam specie distinctam à simplici furto, ut diximus à num. 64. unde non solum juridicè, sed etiam theologice pertinent ista ad diversas species. Sic etiam sacrilegium est species furti declaranda in Confessione; est enim furtum rei sacræ, auferendo scilicet rem sacræ de loco sacro, & de loco non sacro, aut rem sacræ de loco sacro modò, quo dicemus n. sequenti. Poena autem sacrilegij, præsertim si res sacræ auferatur, est extraordinaria, & arbitraria, ex Cap. *quisquis* 17. quæst. 4. perpena infamia declarantur, vel in exilium relegantur: nisi citò se correxerint, Anathemate feriuntur usque ad congruam satisfactionem.

735. Quando autem furtum contrahat malitiam sacrilegij, exponit latè de Lugo dif. 26. de Poen. sect. 23. ubi defendit, non esse sacrilegum furtum, qui crumenam à laico furatur, nisi pecunia illa aliquomodo ad Ecclesiam pertineat, vel ibi sit causâ custodiæ, depositi, commodati, aut similis tituli. Quare tunc furtum habet nomen sacrilegij, quando auferatur aliquid sacrum de loco sacro, vel non sacrum de sacro, ut dicit Joannes VIII. Cap. *quisquis invenit*,

quæst. 4. quæ ultima verba ita explicat Lugo, ut per ea significetur, rem non sacræ accipi sacrilegè, quando non solum in loco sacro, sed etiam de loco sacro auferatur, ad quem nimirum locum res illa aliquo modo pertinebat.

736. Fit 3. Furtum theologice acceptum, quod nempe coram DEO tale est, atque à Theologis pro tali habetur, ad plura se extendere, quam furtum juridicum, quod scilicet à Juristis pro furto habetur, & punitur: nam Juristæ docent primò, non dari furtum propriè de re immobili, sed de re mobili; at Theologi agnoscunt etià rei immobilis propriè furtum, & quidem quoad rationem peccati nulla est specifica differentia. Docent secundò Juristæ, non esse propriè furtum, si quis ex hæreditate, antequam eam adeat hæres, aliquid usurpet, quod proinde vocant crimen expilatæ hæreditatis, ut constat ex C. toto Tit. de criminib. expilatæ hæreditatis. Tertiò docent, non esse propriè furtum, quando conjux ex hæreditate conjugis defuncti aliquid usurpat, vel ad divisionem non assert: proinde apud Juristas alia mitior actio adversus talem conjugem convenit propter honorem conjugij, ut constat ex L. *adversus* Cod. de crimine expilatæ hæreditatis, & ex L. 8. *uxor eodem Tit.* Quartò id ipsum dicunt, quando conjux stante matrimonio aliquid injustè usurpat ab alio conjuge: quo in casu non datur apud ipsos actio furti, sed alia mitior, quam vocant rerum amotarum, ut habetur eodem Tit. vers. *amota*. Quintò idem docent, quando Tutor rem pupilli sibi usurpat eo invito, contra quem datur actio non quidem furti, sed de rationibus distrahentibus, ut constat ex L. 1. & 2. ff. de tutelis, & ration. *distrabent.* Cæterum hæc omnia in consideratione Theologica sunt propriè furta, ac proinde hæc omnia comprehendunt, quando propter furtum fertur excommunicatio aut reservatio, licet quoad poenas civiles aliter se habeant.

## DISPUTATIO XIV.

### DE RESTITUTIONE.

736. Constat à num. 18. restitutionem esse actum justitiæ commutativæ, quo jus læsum proprietatis alterius resarcitur; unde qui contra jus alterius extendit liberam suam facultatem, & restringit alienam, tenetur restituere, ut constat ex dictis num. 179. ubi latè diximus, in quo distinguatur peccatum contra justitiæ alienarum virtutum. Quamobrem, qui retinet alienum, vel damnum infert invito rationabiliter Domino, & graviter, tenetur ad restitutionem, ut possit consequi vitam æternam, ut habetur Exodi 22. *si laferit quisquam agrum, vel vineam &c. damni estimationem restituet,* & Tobie 2. *reddite eum (scilicet) Dominis* R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

*suus, quia non licet nobis edere de furto aliquid.* Ad Romanos 13. *reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal:* & est juxta legem naturalem, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, à Christo Domino confirmatum Matth. 7. *quodcumque vultis, ut faciant vobis homines, facite illis:* unde est axioma relatum ab Augustino Epist. 54. ad Maced. in cap. *peccatum de regul. juris* in 6. *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Ex hac autem certa doctrina oriuntur aliquæ difficultates, an nimirum hæc necessitas restitutionis sit necessaria ad salutem necessitate medij, vel necessitate præcepti, & an præceptum restitutionis sit affirmativum

X

vum